



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso


Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Quæstio I. De nominibus hujus scientiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

atque exercitationibus omnem amorem in hanc solam, tot perfectionum dotibus compactam, splendoribus illuminatam sapientiam, inflammato, constantique studio transfundatis. Digna est plane scientia humanarum, diuinarumque rerum, & quam hominum labor non sine ope caelesti reperit, auxit, adornauit, & quam hominum generi in tenebris iacenti luce diuina patefecit, cuius causa utilia eque, ac iucunda contemptis; si modo, aut utilia, aut iucunda possunt esse, quae nos hoc tam diuino bono priuant; nulla enim res, neque dignitas plus, neque vere utilitatis affert, nec tantum illa difficultatis habet, quin possit ingenio, diligentiaque superari, & quoniam magno, & excelsio animo praediti qui sunt, ut vos estis, eos dignitate maxime par est, atque integra, solidaque laude, ad lumen sapientiae, excelsum Theologiae studium, commoueri.

Hec pauca de mirabilibus omnium Scientiarum naturalium Regine, ac Imperatricis laudibus, & praconis, operepretium duxi in publicum edere, in aspectum, lucemque proferre, antequam in arenam Theologicam, in Metaphysicam circum robustissimis aduersariis manus conferere, pugnamque conferre literariam descenderem; vel, ut placidius loquar, priusquam prima iacerem fundamenta ingentium operum, quae molimur, quibus magnificam sapientiae regiam diuini Numinis afflatu felici omine sensim adtectum, fastigiumque perducerem; magno enim, & excellenti edificio praestruj iubet, Olympiorum Ode 6. Pindarus praefulgidam faciem: ἀρχαίη, αἰετ, ἔργα πρῶτων καὶ θεῶν τιμωμένη. In Digestis de origine iuris, l. 1. Facturus, inquit Gajus, legum veterum interpretationem, necessario prius ab Urbis initis repetendum existimari, non quia velim verbosos commentarios facere, sed quod in omnibus rebus animaduerto, id perfectum esse, quod ex omnibus suis partibus constaret, & certe cuiuscumque rei potissimum principium est. Deinde si in foro causas dicentibus nefas, ut ita dixerem, videtur esse, nulla praefatione facta, iudici rem exponere, quanto magis interpretationem promittentibus inconueniens erit, omisis initis, atque origine non repetita, atque illotis, ut ita dixerim, manibus, protinus materiam interpretationis tractare; namque, nisi fallor, istae praefationes & libentius nos ad lectionem propositae materiae perducunt, & cum ibi venerimus, euidentiore praestant intellectu; quod maxime commendat Chrysostomus hom. de fer. &c. vel Hieronymus de partibus sacrae Scripturae.



DISPUTATIO I.

De Natura, & Perfectionibus Theologiae naturalis.

QVAESTIO I.

De Nominibus huius Scientiae.

I. **Q**uia omnis cognitio rei, tum ex causis, tum ex ipsius nomine innoscitur; naturam enim v. g. Dei, hominisque essentiam ex ipsorum nominibus aliquo modo inuestigamus, quorum significatione enucleata in ipsorum significatorum notitiam proculdubio devenimus: quapropter praesenti quaestione, varia Metaphysicae, seu Theologiae naturalis, cuius naturam in hac disputatione explican-

dam aggredimur, cognomen aperiam, ut melius essentia illius intelligatur.

Primo haec scientia, tum Theosophia, 2. tum Theologia naturalis iuxta varias Doctorum versiones à Philosophorum Principe Aristotele nomine insignitur variis suae doctrinae locis, ut lib. 6. Metaphysicae, c. 1. lib. 8. c. 2. lib. 11. cap. 6. Primum nomen ex duplici Graeca dictione Theos, quod est Deus, Sophia, id est sapientia, sapientiam de Deo agentem significat. Secundum, Theologia nimirum sermonem de Deo exprimit, quia Theos Deus est, & Logos Graece est sermo. Vnde Theologia idem est, ac sermo de Deo, non quidem luminis supernaturalis, aut reuelationi diuinae, virtutesque naturales superanti innitens, ut est supernaturalis Theologia, sed rationationi, & discursui naturali penitus, & merito quidem, cum ob suam praestantiam, totum Deum Optimum Maximum spiret, & de ipsius perfectionibus, & attributis, data opera latissime ipsa sola inter omnes naturales scientias disputet. Totus enim duodecimus liber metaphysicae

Quæst. I. De Nomin. huius Scientiæ. 5

fice in hoc solum cõsumitur; hac enim de causa Aristoteles 6. *Metaphysicæ*, diuinissimam scientiam appellat, & non humanam possessionem; lib. autem primo *Metaph.* hac profert, quapropter secundum Simonidem, Deus utique solus hanc habet dignitatem, hominem verò indignum non querere illam, quæ sibi conuenit scientiam, quod si quid Poëtæ dicunt, & natora comparatum est, ut diuinitas inuideat, in hoc maxime id verisimile est contingere, & infelices omnes esse, qui altiora se querunt, sed nec diuinam naturam inuidiam esse conuenit, Poëtæque secundum proverbium multa mentuntur, nec aliam, quam huiusmodi deest honorabiliorem putare; quæ enim diuinissima, eadem etiam honorabilissima est; talis verò bisariam dumtaxat utique fuerit, nam & illa, quam maxime Deus habet, diuina scientiarum est; & si quæ est, quæ diuinorum sit, hæc autem sola utrumque consequuta est: Deus etenim tum causa omnibus esse videtur, tum quoddam principium, & talem, aut solus, aut præcipue Deus habet, sic ille. Alibi etiam præstantissimam sapientiam in præstantissimo diuinitatis genere versantem appellauit, quapropter Magister ipsius Aristotelis Plato candidissimæ lucis æternæ scintillam, & participationem; quæ similitudinem Dei proculdubio induimus, nominabat; quod liquidius expressit Regum omnium sapientissimus Salomon *Sap. 7.* dum hanc sapientiam, leuissimum, & nitidissimum speculum diuinæ virtutis appellat, vel quia nunquam maior, quam in sapientia similitudo diuinæ potestatis elucescit, diuinæque naturæ: vel propterea, quod hominum ingenia sine aliquo numine diuino rem tantam videtur moliri non potuisse; quam ideo in mentes hominum Orpheus sine vlla ipsorum opera, sed potius diuino numinis afflatu incertam esse, & inclam diuinitus assererat: vnde Salomon dicere non dubitauit, & diuinæ virtute afflari sapientiam, & quasi crystallinum munus, ex clarissimo splendoris lumine, & ex perenni diuinitatis fonte emanare; has enim ob causas tam insignis scientia, tot eminentiæ, ac excellentiæ dotibus exornata, tam insignis, ac illustre nomen sibi iure optimo gloriosissime comparauit, Theologiæ, ac Theosophiæ nimirum.

Secundo ab ipso Aristotele nominatur sapientia, tum 1. *Metaphysicæ*, cap. 2. tum 6. 7. 8. & 9. & quotiescumque de nostra *Metaphysicæ* loquitur, hoc est, ut Princeps eloquentiæ Cicero ait 4. *Tusculanarum*: Sapientia dicitur, quia est rerum diuinarum, & humanarum scientia, cognitioque, quæ cuiuscumque rei principia cognoscit, tum initiorum, causarumque, tum cuiuscumque rei intelligentia, ac ideo hoc pulcherrimum nomen apud antiquos comparauit. Et secundo de officiis, eadem pene verba repetit; nam ait: Sapientia est, ut à veteribus Philosophis definitur, quia est rerum diuinarum, & humanarum, causarumque, quibus hæc res continentur, scientia: quam definitionem Sancti PP. Doctoresque Ecclesiæ, tanquam firmam, optimamque tradidit, quibus consonat D. Thomas, qui sic appellatam, inquit,

quoniam de primis rerum causis, & supremis, ac difficillimis rebus, & quodammodo de vniuersalibus entibus disputat.

Tertio nuncupatur felicitas, seu beatitudo naturalis, ut 6. *Metaphysicæ*, dum appellat eam Aristoteles diuinissimam scientiam, & non humanam, sed diuinam possessionem, hoc est per quam possidetur Deus; sed clarius 7. *Met. & in libris Ethic.* Et ratio huius est, quia nihil aliud est felicitas, & beatitudo naturalis creaturæ, quam acquisitio, adeptio, seu possessio summæ, & infiniti boni, quod est Deus, quia cum Deus sit beatitudo obiectiua, illa erit beatitudo formalis naturalis, quæ fuerit formalis acquisitio, & possessio Dei, quod latius probabitur suo loco: quapropter exclamat Tullius 1. *de Legibus*: Nihil à Diis immortalibus beatius, vberius, nihil florentius, nihil hominum vitæ datum, atque concessum præstabilius iudicamus, quam vbi summa bonorum omnium felicitas collocatur: vnde Homerus *Odyssæa* 2, sapientiæ splendore beatos reddi à Ioue homines asserit, quem secuti Græci Deam felicitatis, & Mineruam, hoc est sapientiam eandem esse, diuersis rationibus, diuini aris, atque focis venerabantur.

Quarto, prima Philosophia dicitur ab Aristotele lib. 4. *met. text. 5.* & 8. lib. 1. *physic. text. 83.* lib. 6. *met. text. 3.* lib. 1. *met. cap. 2.* & 3. *met. text. 3.* & 7. hoc est studium sapientiæ, seu amor, ex *Philos.* quod Græcè amor est, seu studium sonat, & *Sophia*, quod sapientia. Sic Cic. 1. *de Legibus*: Sapientia est mater omnium bonarum artium, à cuius amore Græco verbo Philosophia nomen intuenit. Sic ille. Prima enim vocatur, ut imperium, & potestatem, quam supra omnes scientias naturales obtinet, significemus; ideo enim scientiarum omnium domina, & Regina à Trismegisto, Platone, Eliodo, & aliis nuncupatur, cui omnes artes, ut asserit D. Thomas, & omnes scientiæ naturales ancillantur, contradicere nefas est ipsis huic scientiæ, quæ ab illa dependet, cum proprium munus *Metaphysicæ* sit, ut ait Aristoteles 1. *Posteriorum*, cap. 7. & 1. *Physic. cap. 1.* prima principia scientiarum confirmare, ac defendere, illudque ex professo tradit, atque exercet 4. *Metaph. cap. 3.* ut ibi omnes expostores fatentur, & quia in reductione ad illa principia consistit perfectio essentialis scientiarum, & hæc dependeat à principiis scientiæ, etiam ipsa dependere dicuntur ab hac sapientia: quapropter ut hæc dignitas, & excellentia, qua præstat *Metaphysicæ* cæteris scientiis, ostendatur, prima Philosophia dicitur, non quidem tempore, & acquisitione, sed excellentia, & mirabilium perfectionum splendore.

Quinto *Metaphysicæ* dicitur (Aristoteles 6. enim hanc inscriptionem suis libris indidit, dicens, 7. *Metaphysicæ*, id est, ut adnotant DD. scientia de his rebus, quæ res naturales consequuntur) segregaturque hæc scientia ab inferioribus, & naturalibus rebus, quæ in physicis tractantur, quia ad supremas rerum causas, naturam diuinam, spirituales substantias omni concretionem materiæ vacantes contemplandas erigitur, & metam, ac terminum physicarum scientiarum transiliens ultra ipsas circa præstantissima obiecta excellentissimo modo versatur, seu quod idem est, quæ sunt in altissimo

6 Disp. I. De Natur. Theolog. naturalis.

simo rerum gradu collocata, quæ supra naturalia, siue, quæ supra naturam sunt, dicuntur, ac nominantur: quo pacto natura definita est initio 2. lib. *physic. cap. 2.*

7. Vltimò hæc scientia omnium scientiarum præstantissima, euidentiissima, certissima vocatur, ex eo quod per principia euidentiissima circa euidentiissimum obiectum versetur.

QVÆSTIO II.

Quod sit subiectum materiale adequatum Metaphysicæ?

8. CVM vniscuiusque rei cognitio, ab eius causis, tanquam à quibus necessariò dependet, venanda sit, & vt ait Aristoteles *prima Posteriorum*, vnquamque rem tum scire maxime dicimur, cum principia eius, & causas cognoscimus; ideo vt Theologiæ naturalis essentiam, & naturam calleamus, ab eius obiecto exordendum esse operapretium duxi, quia omnia genera causarum circa scientiam exercet, vt omnes DD. adnotant, inter quos præcipue D. Thom. 1. 2. *qu. 18. art. 2. ad 2. & quæst. 73. art. 3. ad primum, & lib. 3. contra gentes, cap. 4.* Primò enim efficientis munus exercet circa scientiam, quoniam, vt notat D. Augustinus *lib. 9. de Trinit. cap. vltimo, & lib. 6. de ciuitate Dei, cap. 4.* ex obiecto, & potentia paritur notitia. Secundo causæ finalis, quatenus intentio operantis per habitum fertur in obiectum. Tertio causæ formalis extrinsecæ (causam enim formalem intrinsecam nullam habet scientia, cum ipsa sit forma intellectus) quia cum obiectum sit, à quo sumunt speciem, ac distinctionem scientiæ, merito vocari potest forma extrinsecæ; ab obiecto enim quasi sigillo quodam formatur habitus, & ideo D. Thomas obiectum formam scientiæ vocat 1. 2. *qu. 18. art. 2. ad 2.* Tandem causæ materialis, non in qua, sed circa quam munus exercet, quia sicut ars v. g. lignaria versatur circa lignum, tanquam circa materiam, sic etiam habitus scientificus cognitione scientifica versatur circa obiectum; cum igitur tot genera causarum exerceat obiectum circa scientiam, hand immeritò quidem ab obiecti notitia Theologiæ disputationem exordiam esse in animum induxi, vt penitus ipsius natura nobis liquidò pateat, rectoque veritatis tramite incedentes scopum rectè colimare possimus.

9. Et quia, vt notauimus in libris de posteriori resolutione, obiectum, & subiectum solent passim, ac sæpius confundi, in præsentem mentem indui, quia vt vniscuiusque naturam cum discrimine, ac distinctione petraçtem, agendo prius de subiecto, postea de obiecti natura disputatur; subiectum autem est pars propositionis, siue conclusionis, in qua aliquid de alio prædicatur, de quo inquit scientia principia, proprietates, & attributa; obiectum enim est aut tota propositio, siue conclusio formalis, aut obiectina, quod ex eo, quod obijciatur scientiæ, vt intelligatur euidenter ab ipsa, obiectum dicitur, id est, id, quod obiectum est, siue quod obijciatur, vt scientiæ à scien-

tia petraçetur. In præsentem quæst. interrogatur, quod sit subiectum adequatum metaphysicæ, siue per se, siue per accidens, aut aggregationis, in qua sit

SECTIO I.

Vbi sententiæ aduersariorum proponuntur.

10. PRIMA sententiæ asserit, ens creatum reale dumtaxat esse subiectum adequatum Metaphysicæ, ita vt Deus excludatur à ratione subiecti huius scientiæ; sic Flandria *lib. Metaphysicæ*, & multi alij Thomistæ. Et probatur sic primò: De subiecto siue partiali, siue totali debent cognosci causa, principia, & proprietates, sed Deus nullam causam, & principia habet: ergo Deus non est subiectum metaphysicæ.

11. Secundo à nobis sic probatur hæc sententiæ, quia subiectum alicuius scientiæ debet naturaliter cognosci ab ipsa; sed Deus non potest cognosci à scientia naturali naturaliter: ergo Deus non est subiectum metaphysicæ. Minor sic probatur, quia Deus est substantia supernaturalis; sed talis substantia non potest naturaliter cognosci: ergo Deus non potest cognosci naturaliter à scientia. Minor illa sic probatur: Ideo gratia sanctificans non potest cognosci naturaliter, licet sit accidens, ac proinde infinitè distet à Deo, quia est entitas supernaturalis, & idem est de visione beatifica, & lumine gloriæ: ergo à fortiori, si Deus est infinita substantia supernaturalis, non poterit videri, nec cognosci naturaliter.

12. Secundo sic probatur illa minor, quia cognitio respectu obiecti nihil aliud est, quam intentionalis vnio cum ipso; sed vnio intentionalis cum Deo debet esse supernaturalis: ergo cognitio ipsius debet esse supernaturalis, & non naturalis. Minor sic probatur: Ideo enim vnio hypostatica non est naturalis, sed supernaturalis, quia est vnio attingens Deum, & medium, quo Deus vnitur; sed etiam vnio intentionalis est vnio attingens Deum, ac ratio formalis vniendi intentionaliter illum cum natura Diuina: ergo etiam cognitio, quæ vnio intentionalis est, debet esse supernaturalis.

13. Tertio probatur, quia ad cognitionem perfecti obiecti vt vnum, est necessaria cognitio obiecti perfecti, vt vnum, & ad duo, vt duo: ergo ad infinitè perfectum obiectum infinitè perfectæ cognitioni requiritur: ergo ad hoc, vt Deus cognoscatur, qui est infinitum obiectum, infinita requiritur cognitio; sed metaphysica non est infinitè perfectè cognoscitina: ergo metaphysica non cognoscit naturaliter Deum.

14. Secunda sententiæ asserit, subiectum materiale adequatum per se, & directum huius scientiæ esse hanc collectionem, ens reale, vt sic, substantiam spirituales, entia per accidens, ens rationis. Ita P. Hurtado in *metaphysica, disp. 1. sect. 2.* & alij, & probatur primò sic: Subiectum adequatum scientiæ habitualis per se constat esse collectionem obiectorum omnium illius actuum; sed obiecta dicta sunt collectio adequata omnium obiectorum, quæ